

PL.


t.
b.
o

Inst. Bot. de Coimbra

B-781

11-62

14



78N-26

DOMINICI VANDELLI

PHILOSOPHI AC MEDICI

Regii Botanices Professoris, Regiæ Scientiarum Academia Upsaliensis, Florentinae, Phisocriticorum Senensis, Litterariæ Ravenatis, Patavinae, Lusatiensis Socii

DISSERTATIO
DE ARBORE DRACONIS,

SEU

DRACÆNA.

ACCESSIT DISSERTATIO
de Studio Historiæ Naturalis necessario in Medicina, Oeconomia, Agricultura, Artibus, & Commercio.

UNIVERSITATE DE UPM

JARDIN BOTANICO

OLISIPONE,

Apud Antonium Rodericium Galliardum
Typographum Regiæ Curiæ Cenforiæ.

M. DCCLXVIII.

Cum Facultate ejusdem Curie.

J. Boze Hermano meo.

1840

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

...

VIRO CELEBERRIMO
D. D. GUALTERO WADE
S. P. D.
DOMINICUS VANDELLI.

DRacænæ, seu Arboris
Draconis descriptionem
Tibi inscribere,
Vir celeberrime, decrevi,
quum Tu jam superioribus
annis ejus fructificationem
sub examine revocasti, atque
figuram *Loeflingio* ostendisti,
quam tamen vorax ignis unâ
cum copiosa Tua librorum
suppellectile in fatali Terræmotu
consumpsit.

Tribus jam elapsis annis
A ii de-

descriptionem & iconem hujus arboris Cel. Equitis *Caroli Linnæi* suafu Regiæ Upsaliensi Societati communicavi, & ipse *Linnæus Dracænâ Vandelli* in ultima systematis Naturæ editio-
ne nuncupavit: attamen eam ty-
pis committere differebam, ex-
spectans in lucem edere opus (a),
quod absolutum anno 1765 ap-
probasti. Continet integram na-
turalem Historiam Urbis, &
Agri Olisiponensis; in qua plu-
res plantarum & animalium no-
vas species descripsi, quarum
aliquas in ultima systematis Na-
turæ editioe invenies.

In relationibus autem pu-
blicis

(a) *Historia naturalis Urbis & Agri Oli-
siponensis continens terras, lapides, petrefac-
ta, thermas, plantas, animalia, eorumque
usus in re Medica, Economica, & Artibus.*

blicis legens eamdem *Dracena* plantam Cel. *Vansvieteni* consilio a C. D. *Crantz* nuper descriptam esse, & *Storkia* nomine insignitam (a); in animum duxi; ejus iconem rursus edere, atque descriptionem subjungere.

Grisley Viridarium Lusitanicum Linnæanis nominibus illustra-

(a) Ex relat. Matrit. Viena 2 de Julio 1768. El Consejero de *Grantz*, Professor de Medicina en esta Universidad, ha publicado una carta Latina en forma de disertacion sobre las plantas nombradas Arbores Dracones Botanicorum. Habiendo florecido el ano pasado una de estas Plantas en los Jardines de Schombrun, bajo la direccion de Mr. *Steckhofen*, el Auctor de la disertacion, encargado por el Varon *Vansvieten* de examinarla, y hablar de ella; ha notado que no es la *Alparagus Draco* Linnæi; sino un nuevo genero, a que dá el nombre de *Storkia*, denominacion propia para recordar los servicios esenciales que Mr. *Storck* ha hecho al Publico con utiles descubrimientos. La flor de esta especie de palma, que es muy rara, no se habia hasta ahora conocido por los Botánicos.

lustratum , & Tibi inscriptum
propediem proelum subibit.

Vale , Vir Celeberrime , in
ornamentum , & incrementum
Artis.

*Dabam e Viridario Bota-
nico , die 21 Sextilis 1768.*

I.

Sanguis Draconis est resina, quæ e variis arboribus colligitur. *Κιννάβαρις* a Dioscoride vocatur, a recentioribus Græcis *Αίμα δράκοντος*, Arabibus *Alachnen* appellatur, omissis *Plinii*, & *Solini* fabulis.

In variis Regionibus & ex diversis plantis sanguis Draconis præparari fertur; in Insulis Canariensibus, præcipue in illa *Portus Sancti* prope *Maderam*, & in ipsa *Madera*, in *Jamaica*, & *Madagascar* ex *Dracone arbore Clusii*. In *Amboina*, aliisque Indiæ Orientalis tractibus ab *Arundine*, quæ a *Kæmpfero* (*Amoenit. exot. p. 552. 554.*) *Arundo facta*, seu *Palma pinus*, *Palma Amboinensis*, *Indis Rotani Dsjerenang* dicitur. Pariter in *Java*, India Orientali a *Pterocarpo* (*Linnæi Fl. Zeylanica 417.*) seu *Dracone arbore Indica siliquosa*, *populi folio*, *Angsana*, vel *Angsava Javanica*.

vanica. *Comm. hort.* 1. p. 213. t. 109.
 & demum in nova Hispania ab arbo-
 re, quam *Hernandez* (*Plant. Animal.*
Mexic. Hist. 59.) *Sanguinis arborem*,
 & *Americani Ezquahuir* vocant.

Draconem arborem *Clusius* pri-
 mum *Olispone* vidit post monaste-
 rium *S. Virginis a Gratia*. *Cel. Eques*
Carolus Linnaeus hanc arborem mihi
 indicavit in *Regio Horto ad Alcan-*
tara, quam sextili mense floridam
 observavi; cujus genus adhuc dubium
 erat *quamdiu flores nobis non visi*, quos
 ad *Asparagum*, aut *Medeolam* *proxi-*
me accedere rescripsit Loeffling, qui in
Lusitania horum iconem vidit. (*De-*
monstrationes plantarum in Horto Upsal.
Joh. Hojer. Amoen. Acad. vol. 3. pag.
 407.) & *Linnaeus* in ultima editione
Specierum plantarum p. 451. *Fructi-*
ficationem, quam etiamnum Olispone, &
in Hispania producit, non obtinui.

II.

AUCTORES, qui Draconis aliquam descriptionem tradiderunt, fuere.

Clusius. *Hisp. & Hist.* 1. Parkinsonus *Theat.* 1531. Joh. Bauhinus 1. 402. Raius *Hist.* 2. 1598. Johnstonus *Dendro*: 288. Ochs *Dissertatio de Sanguine Draconis*. Altorfii Meierus 1712. Bayerus &c.

III.

CLASSIS

Ad Hexandriam monogyniam spectat.

IV.

ORDO NATURALIS an Liliaceis? Quis vero cum *aloe*, & *yucca* aliquam affinitatem dubitare posset, Draconem incertæ sedis, seu inter vagas plantas enumerabit.

Dissertatio

V.

SYNONYMA. Draco arbor. *Clusius Hisp. & hist.* 1. *Lobel. Cast. Lugd. Bauh. pin.* 505.

Arbor Gadenfis Possidonii forte apud Strabonem Draco. *Tabern.*

Arbuscula Dragonalis. *Fragosus.*

Palma foliis longissimis pendulis, absque pedunculis e caudice glabro enatis. *Boerhaave. Lugdb.* 2. pag. 169.

Cordylina foliis inermibus integerrimis flaccidis. *Roy. Lugdb.* 22.

Yucca Draconis. *Hojer. Amoen. Acad. Linnæi.* vol. 3. p. 407.

Asparagus? caudice simplici, foliis ensiformibus mucronatis subcarinosis, imbricatis patentibus. *Linnaeus Sp. pl.* 451.

VI.

Habitat in India Orientali, &c.

VII.

VII.

DESCRIPTIO.

CALIX nullus.

COROLLA sexpartita A.A., ungui- Fig. III.
bus cohærens. *Lacinia* ovata, api-
ce acuto incurvato, pubescente: dor-
so carinata G, revoluta A.

STAMINA *Filamenta* sex, erecta,
corollam æquantia, unguibus inserta:
inferne membranacea, medio ovato-
compressa incrassata, superius subu-
lata. *Anthera* oblonga incumbentes
A. B.

PISTILLUM *Germen* ovatum sex
sulcis striatum. *Stylus* F longitudine
staminum, subangulatus. *Stigma* tri-
fidum, obtusum.

PERICARPIUM. *Bacca* F. ovata sex-
sulca, trilocularis.

SEMINA tria ovato-oblonga, apice
incurvato.

Arboris altitudo est $18\frac{1}{2}$ pedum
Parisiensium.

TRUNCUS. *Caulis* longitudo est Fig. I.

8 pedum. Circumferentia 3 pedum
& $7\frac{1}{2}$ pollicum. Caulis arboreus, sca-

ber, subcinereus, rimosus, e corti-
ce humorem fundens, qui, in rubram
lacrymam densatus, *Sanguis Draco-*
nis appellatur. Lateraliter propè sum-
mitatem emittit pedales, aut bi-
pedales ramos nudos, dependentes,
extremitate digitatos. In caulis sum-
mitate exeunt sex rami divaricati,
nudi, læves, cum aliquibus laterali-
bus ramis dependentibus A. Illorum
unusquisque in duos aut tres ramos
(dependentibus pariter ornatos, &
subdivisos in duobus aut tribus mi-
noribus ramis moniliformibus bipe-
dalis, aut amplius, longitudinis, &
brachialis crassitudinis) desinit, qui
striis, seu scissuris linearibus circu-
laribus se invicem interfecantibus, &
rubrâ lacrymâ turgidis ornatur. Ab
eorum extremitate exeunt folia.

Fig. II.

Fig. II.
IV.

FOLIA pedalia, ensiformia, mucro-
nata, apice semi-involuta, subcar-
nosa, lucidè virentia, longitudinaliter
stria-

friata, intus, & extus carinata, imbricata, basi dilatata, rubra, subrotundis complanatis rubescentibus globulis aspersa; qui sunt lacrymæ e foliorum vasis excretoriis separatæ, & ibi concretæ.

Ex centro apicis rami foliis circumdato surgit racemus bipedalis, suberectus, compositus, subfoliatus, albo-virescens, apice racemoso simplici, ramis alternis horizontalibus, qui in basi duobus aliis minoribus patentibus oppositis, (omnibus racemosis) donatur. In ramorum extremitate stipularum flocci.

Flores breviter pedunculati e pedunculo facile decedentes ob articulationem C, plerumque quatuor H. ab eodem centro, stipulis quatuor lanceolatis I. circumdato oriuntur. Eorum longitudo, dum clausi sint, est 4. linearum. Aperti, lacinix sunt revolutæ A. Mane clausi, vespere aperiuntur. Externus color in basi est spadiceus, reliquus est albo-virescens, interne albus.

FRU-

8 *Dissertatio*

FRUCTUS. Bacca ovalis sex-sulca
F, trilobularis, continens tria semi-
na ovato-oblonga apice acuto incur-
vato. Color flavescens.

VIII.

Character artificialis.

Draco *yucciformis*. COR. infe-
ra 6-petala, revoluta. Bacca 3-sper-
ma.

IX.

PHARMACEUTICA. Draco Oli-
fipone sub dio viret, & sub caniculæ
æstu resinam exstillat, quæ arboris
incisionibus copiosius colligi posset.
Duas resinæ species habemus. Pri-
ma, quæ in globulos diametro 6,
aut 7. linearum concrescit, externe
lateritii coloris, interne nitentis, &
coloris lapidis granati semiopaci. Se-
cunda, quæ in corticis scissuris ir-
regulariter exsudat, & in subtiles
laminas concrescit lateritii coloris:
his adjungere potes globulos illos
com-

de Dracena.

9

complanatos, pellucidos, rubescen-
tes in foliorum superficie indicatos.
De variis speciebus resinæ vide
*Geoffroy mat. med. Savary Diction. de
Commerce Sang de Dragon.*

Resina hæc est friabilis, obscu-
re rubra, quæ trita pulchrum ru-
brum sanguineum colorem ministrat.
Dumtaxat vini spiritu, aut oleosis
solvitur. In igne exhalat fumus sub-
acidus. Constat oleo crasso copioso,
& acido sale simul permixtis; parum
vero partium volatilium oleosarum
continet.

PRÆPARATA. Ejus tinctura. Den-
tiscalpia hac obducuntur.

COMPOSITA. Emplastrum stypti-
cum, Pilulæ Helvetii, & quædam
electuaria &c.

SELECTUS. Resina in tabulis im-
purior, in globulis vero optima.

DOSIS. In Hæmorrhagiis, Dysen-
teria, Gonorrhæa, & fluore albo hu-
jus resinæ dosis est a scrupulo uno
usque ad drachmam.

QUALITATES. Resina inodora,
insipida.

X.

X.

VIS. Incrassans, adstringens.

USUS. Externe ad ulcera manantia exsiccanda, vulnera glutinanda, vacillantes dentes firmandos, & hæmorrhagias, albumine ovi subacta resina, adhibetur.

Interne itidem in profluviis, Diarrhæa, Dysenteria.

XI.

USUS MECHANICUS. Aurifabris, & gemmariis usum hujus resinæ esse scribit Parkinsonus ad encausta, & suppositum (ut vocant) pro folio ad gemmas, & lapides pretiosos illustriores, & nitidiores representandos. Vitrariis etiam ad vitra colore cremisino tingenda, pro fenestris &c.

Pictoribus quoque hæc inservit, & ex ea vernix rubra, qua cistæ, & pyxides Sinenses obduci solent.

DIS-

DISSERTATIO

DE STUDIO HISTORIÆ
Naturalis

*Necessario in Medicina, Æconomia,
Agricultura, Artibus, &
Commercio.*

Naturalem Historiam earum-
que rerum, quæ in terris
gignuntur cognitionem,
valde esse utilem, & ne-
cessariam, jamdiu convenit
inter Doctos (1), nec quisquam in
dubium revocabit, modo verum fate-
B ri

(1) *Discours sur l'utilité des Cabinets d'
Histoire naturelle dans un' etat, & principa-
lement en Russie. Par Mr. Madonetti à Pé-
tersbourg. 1766.*

ri velit (1). Tædet propterea illorum, qui hujusmodi studium *meram quamdam curiositatem* (2) vocant, & ad horas fallendas, & ad animi aliquam oblectationem capiendam aptum putant, nec tantum ab eo utilitatis percipi posse credunt, ut a multis coli debeat. Horum ego sententiam, si locus esset, multis verbis refutarem: nec quidquam mihi tam esset jucundum, quam a nonnullorum animis hujusmodi errorem convellere. Magni momenti res est: ut ignavus mihi videar, si eam intactam omni-

(1) Cl. Gedner = Quæstio historico-naturalis = *Cui Bono?* in *Amoen. Acad. Linnæi* 3. p. 231. „ Omnia, quibus homo sustentatur, & „ pinguescit, vestitur, & superbit, conserva- „ tur & efflato animo, necnon omnia, quæ „ dici queunt vestium pompa, splendor, di- „ vitæ, deliciae, & necessitas ex hisce primam „ nacta sunt originem. Sine illis enim homo „ esset æque nudus, ac ille est creatus, atque „ in mundum editus “.

(2) Sed qualis sit hæc *Curiositas?* Vide specimen Olai Soderberg *de Curiositate naturali. Amoen. Acad. Lin.* 1. 429.

Omniino relinquam. Pauca igitur afferam, ut labor illorum, qui in naturalibus rebus colligendis, investigandisque occupantur, non solum ab imperitotum calumniis vindicetur; verum etiam in dies magis, magisque excitetur.

Scientia naturæ *Physices*, & *Chemiæ* (1) nomine comprehendit elementa; nomine vero *Mineralogiae*, *Hydrologiæ*, *Botanices*, & *Zoologiæ* quatuor naturæ regna.

I. MINERALOGIA in cognoscendis terris, lapidibus, salibus, bituminibus, semimetallis, metallis, intimisque nostri globi partibus versatur.

Neminem profecto latere arbitror terrarum varii generis cognitionem in arte Figulina, Vitraria, Tinctoria,

B ii

ctoria,

(1) Quantæ utilitatis Chemia sit Artibus, vide *Discours préliminaire du Traducteur. Leçons de Chymie propres à perfectionner la Physique, le Commerce, & les Arts. Par Mr. Shaw.*

etoria , atque in agris colendis admodum esse necessariam.

Neque vero calcarios , arenarios lapides , marmora , gypsa , saxa , ardesias Architectus sine sui , & aliorum detrimento ignorare potest. Certe in fodinis curandis hæc omnia cognosci debent.

Achates , jaspides , &c. quàm multis ornamentis urbium , & civium commodis inserviunt?

Sæpe quibusdam *Spatis* utimur ad metalla liquefacienda : sine arenis , quartzis , aut silicibus res Vittraria nulla est. Magno stat gemmarum cognitio. Ollarii lapides vasa conficiunt , quæ igni magis resistunt , quàm figulina. Amianto incombuftibiles telæ fiunt. Molybdæna Chemis , & Delineatoribus inservit.

Vitriola (1) in arte Tinctoria ,
Co-

(5) Si rotarum radii rhedæ in aqua vitriolica ebulliant , in rotæ centro , ubi facilius sæpe putrescunt , non putrescunt. Insuper si lecti ligna abluantur aquâ vitriolicâ , cimices , aliæque insecta abiguntur.

Coriaria, in Medicina adhibentur.

Alumen (1) in arte Tinctoria, in nitri, sacchari defæcatione, &c.

Nitrum in Medicina, pyrio pulvere, arte Vitraria, metallorum fusione.

Sal ammoniacum, Borax metallorum fusionem promovent.

Salis marini, gemmæ, glauberiani, alcalini usus nemo ignorat.

Naphtæ, Petrolei usus in lucernis, suffumigiis, tormentis bellicis, medicina &c.

Lithantracis, seu carbonis fossilis utilitas omnibus nota est, & præcipue iis in locis, quibus sylvarum defectus (2).

Succino artifices utuntur in *vernici-*

(1) Ligna, postquam in aquâ aluminosâ, aut vitriolicâ fuerint infusa, igni obstant, neque umquam flammam concipiunt; quod optimum pro ædificiis, utensiliis &c. Eadem ligna sic præparata non putrefiunt.

(2) *Mémoire sur l'utilité, la nature, & l'exploitation du Charbon minéral. Par Mr. Tilly. Paris. 1758.*

nicibus, multaque efficiunt magni æstima-
mata a Persis, Turcis, Chinenſibus.

Ambra ſuffumigia miniſtrat.

Sulphure dealbantur pani lanci,
holoferici. Sulphur basis eſt pulveris
pyritii &c. præſtans etiam remedium (1).

A pyritibus elicimus vitriolum,
ſulphur (2).

Mercurius in auri, argenti ſe-
paratione, inaurandis metallis, in
ſpeculis vitreis, Phyſica, Medicina
adhibetur. Cinnabar in arte pictoria
&c.

Arsenicum cupro, & ferro ar-
genteum colorem tribuit, metalli re-
fractarii fuſionem promovet, & ad
ſpectula uſtoria imprimis inſervit (3).

Co-

(1) De ſulphuris viribus præcipue in mor-
bis peſtoris, vide Mathiam Untzerum. De ſul-
phure *Tractatus Medico-Chymicus*. Hallæ
Saxonum. 1620. §. 3. p. 26.

(2) Jean-Frederic. Henckel *Pyritologie*.
Paris. 1760.

(3) Cum Arſenicum diſſolvatur in oleis,
& pinguedine, eo uti poſſumus pro baſſamis,
vernibus ad ligna cooperienda, ut a putrefa-
ctione, & ab infectis tueantur.

Cobalti usus in arte Figulina ,
Vitraria omnibus patet.

Antimonio stannum album evadit : antimonio , & plumbo Typographorum characteres efformantur : eodem utuntur Figulini , & Fusores ad auri depurationem : magnum etiam remedium est.

Wismuthum metallorum fusionem facilem reddit ; cuprum , stannum dealbat ; hoc postremum durum etiam , & sonorum efficit.

Zincum dealbat stannum ; cupro aureum colorem tribuit ; ad æs conficiendum adhibetur.

Auri , argenti , ferri , cupri , plumbi , stanni fodinæ , quantæ sint utilitatis , non opus est dicere : integrum vero librum de iis Agricola scripsit. Septimum metallum paucis abhinc annis detectum , id est *Platina* , (1) plures utilitates nobis suppeditare potest.

Sta-

(1) Vide Commentaria quatuor de hoc metallo Cel. *Lewis Transact. phil.* 1754 , & Cle.

Stalactites pulchra alabastra nobis ministrant. Tophi optimam calcem in ædificiis subaqueis præbent.

Ex quibusdam animalium ossibus petræfactis *Turchoides*, tamquam gemmas æstimatas, habemus. Testacea fossilia certo quæque ordine distributa & eximium ornamentum domibus privatorum & Principum addunt; & globo, quem incolimus, quænam olim facies fuerit, edocent, & quàm magna, & admiranda dubitare non sinunt. (1)

II. HYDROLOGIA aquarum naturam considerat; modumque tradit, quo præstantiores aquæ ad potum

CO-

Cel. Theodori Scheffer Obs. in Act. Acad. Sueciae. 1751. *¶* la Platine, l'or blanc, ou l'huitième métal. Recueil d'expériences faites dans les Académies Royales de Londres, Suede &c. sur une nouvelle substance métallique tirée des mines du Perou, qui a le poids & la fixité de l'or. à Paris. 1758.

(1) *Talliamed*, ou entretiens d'un philosophe Indien, avec un missionnaire François sur la diminution de la mer, par Mr. de Maillet. à l'Haye. Paris. 1755.

cognoscantur. Ea fit, ut ab aqua marina, aut fontana melius, commodius, utilius sal eliciatur; ac demum quid aquæ omnes in se contineant, sciri possit. Quæ omnia quantas utilitates afferant ad vitam regendam, ac salutem conservandam, non est opus verbis explicare.

III. BOTANICA est Scientia naturalis, quæ Vegetabilium cognitionem tradit (1).

Æco-

(1) „ Ut firma ejus cognitione neque carere fas sit Medico, neque Chirurgo: Pharmacopeus autem, & Rhizotomus Artem hanc callere omnino debeat. Quid itaque magis necessarium, quid magis ex usu, his, qui animum ad discendam medicinam applicant, quàm ut sedulo discant prius herbarum medicatarum facies perfecte cognoscere, utraque ita tenere, ut temere errare in hisce nequeant? “ *Boerhaave Index alter præf. 10.*
„ Vegetabilia per insignem illum sui usum, & præstantiam in *Medicina*, in *Æconomia*, in *Operibus manufactis*, in *Commerciis*, in re denique culinaria multo maximam, homines omnis ævi ad studium *Botanices* impigre colendum extimularunt “ . *Samuel maucleurus. Descriptio Horti Upsal. præf. p. 21. Amoen. Acad. Lin. v. 1.*

Æconomicus Vegetabilium usus generi humano utilissimus, & necessarius est. Quibusdam plantis utimur pro pane, cibo, potu, medicina, amictu, ædificiis, instrumentis, opificiis, tincturis &c. (1).

IV. ZOOLOGIA describit animalia. Ex Pecudibus habemus carnes, corium, vellera, pinguedinem. Ex avibus carnes, ova, plumas, pennas. Piscium usus in piscatura, æconomia, mechanica, medicina, &c.

Insectorum etiam non exiguus est usus (2). Apis mellifera dat mel, ceram,

(1) Vide Cel. Linnæi *Principes de l'Æconomie fondés sur la Science naturelle, & sur la Physique. Journal Oecon. Mai. 1752. p. 40.* & *Oekonomische Pflanzen historie, nebst dem Kern der Landwirthschaft, Garten- und Arzneykunst, entworfen von Baltasar erhart. Ulm. und. memmingen. Bog. XII. B. 1753. 1762. S. Æconomica plantarum historia, cum selectis observationibus ad rem rusticam, horticulturam, & medicinam pertinentibus.*

(2) Carolus de Geer Orationem conscripsit de Insectorum utilitate, & Cl. Christianus Biörklund *Diff. de Usu cognitionis Insectorum. Aboæ. 1747.*

ceram, quædam formica gummam-laccam. Ex vesparum nidis chartam habemus. Coccinella, coccus, chermes vividiores colores. Bombyces sericum præbent: demum quibusdam insectis utimur in medicina facienda.

An quis ignorat in Testaceis quibusdam margaritas contineri; quædam ex iis pulchrum purpureum colorem exhibere, alia pro monetis, vasis ad lavacra, pocula: calx testaceorum ad dealbandam ceram, telam &c. pro agricultura: corallia multis ornamentis, & commodis inservire?

Si enumerare vellem quidquid ab his naturæ regnis accipimus, nimis a proposita brevitate discederem: satis sit scire naturalem Historiam in iis omnibus versari, quæ ad hominum utilitatem, vitam, salutem, & commodum spectant; finis enim hujus scientiæ est admiratio Creatoris, & utilitas hominis. Necesse est igitur rerum omnium naturam, quàm maxime fieri potest, cognoscere, quo facilius

cilius utilia ab inutilibus secernantur, inter se comparentur, & in communem usum transferantur.

De Agricultura quid dicam, sine qua nulla esset hominum vita? Ad eam vero rite exercendam, scire omnia Vegetabilia, terrarum vim (1), ac naturam necesse est intelligere, & quantum singulæ vegetabilibus ferendis conveniant. Harum rerum peritus sterilem terram fecundam reddet; exteras, & indigenas utiliores plantas in apricum proferet.

Hic sponte oritur *Cistus ladanifera*, ex qua ladanum hauritur: *Receda luteola*, *Rubia tinctorum* (2) *Quercus coccifera*, *Drosera Lusitanica*, ex qua pulchrum rubrum colorem; *Lichen*

(1) *Agricultura fundamenta Chemica, Akerbrukets Chemiska, Grunder, Præsiden Joanne Gostchalk. Wallerio, publice ventilanda exhibet Gustavus Adolphus Gyllenburg Comes. Upsalia. 1761. p. 134. 190.*

(2) *Rubia Tinctorum* in Hispania quoque nunc colitur, ut e Matritensibus ephemeridibus an. 1764. Martio mense, p. 88. apparet.

oben roccella, plantæque aliæ ad Pictorum, Tinctorumque: ad usum autem vitrariorum, ad saponem conficiendum *Salsola soda* (1) &c. Hispani, Itali &c. ex quarumdam cultu

(1) *La Soude de barille est fort abondante en Espagne, & d'une qualité supérieure à toutes celles que l'on a connues jusqu'à présent: Les étrangers en ont besoin d'une grande quantité pour leurs manufactures de verres, & de savons: ainsi cet objet merite un soin particulier. Don Geronymo de Ustarix Theorie, & pratique du Commerce. Paris 1753. ch. 8. p. 60.*

Les états de Languedoc, & la Société d'Agriculture, du Commerce, & des Arts de Bretagne s'occupent à la recherche de moyens de naturaliser la plante barille (Soude) en France; si cela arrivoit, les glaces, les verres, les cristaux, & l'apprêts des fils, des toiles, & des soies, coûteroient beaucoup moins; & l'on fait voir, que cette plante est une des productions naturelles des plus intéressantes dans le Commerce. Diction. Savary. Soude.

Vide Mémoire sur les plantes à faire de la Soude, & sur la maniere de la fabriquer. Mr. Fontanet. Journal de l'Agriculture, du Commerce, & Finances. Juillet, 1765. à Paris.

tu ingentes utilitates capiunt. Magna Reipublicæ bono Agricultura invenit, tantumque in se momenti habet, ut ejus causa Angli, Galli, Dani, Sueci, Germani, Itali Academias instituerint, ac præmia decreverint (1). Præter alias scientias, quas primus in Lusitaniam Ex. Comes Oeyrensis Regis Fidelissimi Consiliarius, & Administer &c. introduxit, silentio prætereunda non est Agricultura, & Historia naturalis, qua Lusitani noscere possunt omnia sua naturæ bona (2).

Quantæ utilitatis esset charta Minerologica (3) cujuscumque Provinciæ,

(1) Jul. Bernh. Rohrs *De excolendo studio œconomico tam Principum, quàm privatorum.* Lipsiæ. 1712.

(2) Cel. Linnæus in Epistola die 12 Februarii 1765. „ Bonæ Deus! Si Lusitani noscent sua bona naturæ, quàm infelices essent plerique alii, qui non possident terras exoticas! “

(3) *Idée du Docteur Martin. Lister pour l'exécution des nouvelles Cartes minéralogiques*

ciæ, descriptio plantarum (1), animalium, aquarum analysis, enumeratio terrarum, lapidum, salium, sulphurum, carbonum fossilium, semimetallorum, metallorumque? Hæc postrema, cum in terræ visceribus delitescant, indigent arte, ut detegantur; deinde experimentis, ut in usum œconomicum, & commercium transferantur (2).

Huc

ques des différens endroits &c. Trans. Ph. an. 1684. n. 164. art. 2.

De Chartæ Mineralogicæ utilitate vide Cel. Guettard *Sur les avantages, que l'on peut retirer d'une Carte Minéralogique de la France. Journal œcon. Jul. 1752. p. 113. Av. p. 46.*

(1) Regio jussu Cel. Oeder Daniæ plantas eleganter ære incisas, & vivis coloribus pictas edere curat.

(2) *La plû part des Souverains d'Allemagne ont senti de quelle importance il étoit de favoriser les recherches des substances, que la terre renferme dans son sein; on n' a pour s'en convaincre, qu'à jeter les yeux sur les ordonnances, & Reglemens des mines. En effet, les avantages, qui en resultent sont tres-grands, & tres-propres à étendre nos connoissances*

Huc trahi potest, quod Pott scripsit (1). Si chaque Prince dans ses états faisoit faire une Histoire naturelle bien exacte, & bien détaillée, qui renfermât la description de différentes especes de Terres, & des Pierres, qui se trouveroient dans chaque Province, & faisoit tenter des expériences pour trouver les usages aux quels on pourroit les appliquer; quel avantage n'en résulteroit pas pour les manufactures, & pour les Arts? On trouveroit souvent par-là que l'abondance d'une Province seroit en état de compenser la disette d'une autre.

Hac

sances dans l' Histoire naturelle, & peuvent être d'une grande utilité, tant pour le Prince, que pour ses sujets. Comme ces recherches demandent souvent de la dépense, il seroit à souhaiter, qu' un Souverain voulût y entrer; la dépense, qu' il feroit pour cela, ne seroit point inutile, attendu que souvent on pourroit découvrir chez lui des substances, que l'on est obligé de faire venir à grands frais de chez l'étranger. M. Jean. Gotlob Ledmann. Doct. Conseiller des mines de sa Majesté Prussienne. L' Art des mines à Paris. 1759. t. 1. p. 314.
(1). Lithogéognosie. præf. p. VI.

Hac de causa ego Hetruscos, Lunenses, Bononienfes montes peragravi. Serenissimi Mutinæ Ducis mandato, locorum, quæ ad ejus ditionem pertinent Historiam naturalem confeci, ut quidquid œconomicis usibus, commercio utile esset, detegerem, atque periclitarer. Inveni itaque plures terras ad artem Figulinam, Vitriariam, Lanificam, Tintoriam, & Agriculturam apprime utiles; inveni etiam pulcherrima marmora, alabastra, gypsa &c. silices, acathes, jaspides, crystalla, ollares lapides, asbestum, sal fontanum, vitriola, napham, lithantraces, seu carbones fossiles, sulphur, pyrites, arsenicum, fodinas ferri, cupri, plumbi &c. Testacea fossilia; multas aquarum mineralium species (1): plantas demum, & animalia observavi.

C

Sa-

(1) Quarum chemicas analyses edidi seq. opusculis. *Analisi d'alcune acque medicinali del Modonese.* Padova. 1760.

Dell' acqua di Brandola dissertazione. Modena. 1763.

Sacræ Cæsareæ Majestatis jussu pariter conscripsi naturalem Historiam Mediolanensem, quam nobilissimo Comiti *Carolo de Firmian* ejusdem S. C. M. Administro in *Lombardia Austriaca Plenipotentiaro* tradidi: in qua terras examinavi, lapides enumeravi, ac descripsi; scilicet lapides calcareos, marmora, alabastra, gypsa, lapides arenarios, scissiles, jaspides, silices, crystalla, lapides granatos, pseudo-topazios, saxa, molybdænam, plures ferri, plumbi admodum divites fodinas: quorum metallorum docimastica experimenta institui. Sequuntur exuviarum marinarum enumeratio, ligna petræfacta, ossa humana lapidi inclusa, stalactites &c., ut quoque Flora, & Fauna.

Triumvirum Litterariorum Patavinæ Universitatis jussu tractatum scripsi de Patavinis Thermis (1).

Ex

(1) *Traктatus de Thermis agri Patavini. Patavii, 1761.*

Ex quibus omnibus patet, qualis
fit hujusmodi *Curiositas*, & quantum
Historiæ naturalis studium proficuum,
& necessarium sit.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637

1000

10

CONSPECTUS MUSEI
DOMINICI VANDELLII

Patavii 1763.

HOc Museum originem habuit ab itineribus vario tempore a Vandellio peractis per Hetruscos, Bononienses, Mutinenses, Mediolanenses, Patavinos montes, per mare Thyrrenum, & Adriaticum. Agri Mutinensis, ac Mediolanensis Naturalem Historiam ipse Vandellius scripsit, quæ novas plantas, novaque insecta continet, præter varias admodum divites mineras. Multa adjunxit Cel. Targionii Hetruscis itineribus, novaque animalia, ignotasque plantas in Adriatico mari invenit, quæ inservire possent ad Cel. Donati historiam hujus maris augendam.

Incre-

Incrementum dein suscepit Mu-
seum e rarioribus Naturalibus rebus,
quas amicorum auxilio Vandellius ob-
tinuit ab Ægypto, Græcia, Sici-
lia, Gallia, Germania &c.

*Museum XXVIII. armariis, s: pluteis
constat.*

I. **H**umus. Cretæ. Argillæ.
Margæ, simplices &
mixtæ. Piëtorum Terræ. Terræ sali-
næ, sulphuræ, bituminosæ. Ochra
ferri, cupri. Arenæ diversarum spe-
cierum simplices & compositæ. Are-
na ferraria. Arena conchacea &c.

II. Lapidés calcarei colore, mix-
turâ varii.

III. Marmora polita, ultra 300.
species.

IV. Gypsa. Selenitæ. Lapidés spe-
culares: Rhomboidales: Bononien-
ses. Spatha crySTALLIZATIONE, colore,
mixturâ distincta, Geodes spathosæ.

V. Schisti. Lapidés fissiles. Cotes,
& Coticulæ. Lapidés arenarii.

VI.

VI. Silices varii colorati. Chalcedonii cum conchyliorum operculis &c. Jaspides non politi. Achates, inter quas una, cujus longitudo est unius pedis Parisiensis, & novem pollicum, latitudo unius pedis, & septem pollicum; crassities sex pollicum.

VII. Lapidés elaborati. Silices, Petrosilices. Porphyrites. Jaspides. Chalcedonii, Achates, Onyces. Jaspionyces. Opali. Dendrachates. Lapidés Lazuli. Rubini. Sapphiri. Topazii. Smaragdus prasina. Amethysti. Granati, eorumque matrices.

VIII. Quartzæ. Crystalla, Crystallorum concretionés colore, figura, & accidentibus distinctæ.

IX. Lapidés ollares. Amianti; Cartha ex ipsis. Asbesti. Lapidés Cornei. Lapidés picti, scilicet Dendrytes, Dendrophori. Lapidés heteromorphi, aut Lusus Naturæ.

X. Lapidés mixti.

XI. Salia. Vitriola. Alumina. Nitrum. Natron Ægypti. Acidum vitriolicum fossile. Salia ab aquis mineralibus

neralibus extracta. Salia alkalica. Sal ammoniacum naturale &c. Borax.

XII. Naphta. Petroleum. Ligna bituminosa. Lithantraces. Gagates. Succina cum oclusis insectis. Ambræ. Sulphura, simplicia, & mixta. Diversæ species pyritarum, marcasitarum.

XIII. Mineræ Mercurii, Risigalli, Auripigmenti, Cobalti, Antimonii, Bismuthi, Zinci, Molibdenæ. Minerarum superficies.

XIV. Ferrum nativum in granulis. Mineræ Ferri albæ germinantes, & reliquæ Ferri mineræ. Cuprum nativum foliaceum, & aliæ Cupri mineræ simplices & mixtæ. Plumbum viride. Mineræ Galenæ; Pseudo-Galenæ &c. Mineræ Stanni. Argentum nativum dentatum. Argentum nativum capillare &c., & reliquæ hujus metalli mineræ; ut quoque illæ Auri simplices, & mixtæ diversarum Regionum.

XV. Montium ignivomorum eruptamenta, seu pori ignei, pumices
&c.

&c. Incrustata salina; sulphurea, metallica. Incrustata aquarum mineralium, Tophi, Stalagmitæ, Pisolithi, Oolithi, Alabastra polita.

XVI. Phytotopolithi foliorum plantarum. Ligna petræfacta, inter quæ tria habent longitudinem trium pedum, & quinque pollicum, perbellè characterizata, ferro, & lithantrace mixta. Lignum in jaspidem conversum cum auri minera, quod veram ligni figuram servat; ejus longitudo est trium pedum, diameter quinque pollicum. Mineralizata vegetabilia aluminosa, Arbores subterraneæ carbonariæ, Ligna fossilia, Cartha naturalis fossilis.

XVII. Plantæ marinæ fossiles. Corallia. Milleporæ. Tubiporæ. Hippuritorum articulationes. Astroita, Fungitæ. Cerebritæ. Escharæ. Porpitæ. Petræfacta animalia. Xylostea humana lapidea, & alia indurata, Xylostea quadrupedum. Ebur fossile. Turcoides. Glossopetræ lamiarum, luciorum. Bufoniti. Astacolithi. Belemniti.

XVIII. Echinitæ discoidei, conoidei, ovarii, mammillares, fibulares, cordiformes. Echinorum exuvia: officula. Lapidés judaici. Trochitæ. Entrochitæ. Aferiæ. Zootypolithi piscium. Conchyliá mineralizata, spathosa, achatosa.

XIX. Conchyliorum epidermata fossilia. Balani. Myeæ. Solen. Tellinæ. Cardia. Chamæ. Ostreæ. Anomia. Mytuli. Bullæ. Volutæ. Buccina. Strombi. Murices. Trochitæ. Turbines. Helices. Neritæ. Patel-læ. Dentales. Tubuli, &c.

XX. Conchyliá lapidea. Ammonitarum copiosa collectio. Nautilitæ. Tubulitæ. Vermiculitæ. Cochlitæ. Nerititæ. Trochitæ. Buccinitæ. Strombitæ. Volutitæ. Cyndritæ. Muri-citæ. Purpuritæ. Globositæ. Tellinitæ. Gryphitæ. Ostracitæ. Chamitæ. Musculitæ. Mytulitæ. Bucarditæ. Pectinitæ. Solenitæ. Terebratulitæ. Balanitæ. &c.

XXI. Ætitæ. Geodes. Calculi ex diversis animalibus.

XXII.

XXII. Corallia rubra, alba. Placentæ coralloides. Tubiporæ. Rete-poræ. Madreporæ. Astroïtæ. Cerebritæ. Fungi marini. Isides. Gorgonia. Alcyonia. Tubulariæ. Escharæ. Corallinæ. Sertulariæ.

XXIII. Lithophytorum variæ species. Fucorum, Spongiarum multæ species. Pilæ marinæ. Zoophyta. Cancri. Pisces. Testudines, &c.

XXIV. Conchyliæ marina, lacustria, fluviatilia, terrestria, quorum genericam nomenclaturam brevitatis causa prætermitto.

XXV. Insecta. Animalium partes. Crocodilli. Præparata Anatomica corporis humani, &c.

XXVII. Ligna. Fructus exotici. Fungi. Plantæ monstruosæ. Resinæ. Balsama naturalia.

XXVIII. Antiquitates. sc. Urnæ. Lacrymalia vasa. Lucernæ. Idola. Vota, &c. & circiter 3000. monetæ Romanæ, &c.

Catalogus Operum

Dominici Vandellii Philosophi ac Medici, Regiæ Societatis Scientiarum Upsaliensis, Litterariæ Ravennatis, Imperialium Societatum Botanices Florentinæ, & Phisocriticæ Senensis, Academiæ Patavinæ sodalis.

Epistola de *Sensibilitate* Pericranii, Perioftii, Medullæ, Duræ Meningis, Corneæ, & Tendinum. *Patavii*, 1756. 8.

Epistola secunda, & tertia de *Sensitivitate* Halleriana. *Patavii*, 1758. 8.

Dissertationes tres. I. De Aponi Thermis. II. De nonnullis Insectis terrestribus, & Zoophytis marinis. III. De Vermium terræ reproductione, atque Tænia Canis. *Patavii*, 1758. 8.

Analisi di alcune acque medicinali del Modonese. Padova, 1760. 8.

Tractatus de Thermis agri Patavini: accessit Bibliotheca Hydrographica: & Apologia contra Cel. Hallerum. *Patavii*, 1761. 4.

Epist-

Epistola de Holothurio, & Tef-
tutine coriacea ad Cel. Equitem Ca-
rolum Linnæum. *Patavii*, 1761. 4.

*Dell' acqua di Brandola disserta-
zione.* Modena, 1763. 4.

Historia Naturalis agri Muti-
nensis. Tom. 2. cum carthis geogra-
phicis, & variis iconibus.

———— agri Mediolanensis. Tom.
1. cum iconibus fossilium, & planta-
rum.

Supplementum Naturali Histo-
riæ Hetruriæ.


———— Historiæ Naturali Maris
Adriatici.


Dissertationes variæ ad Histo-
riam Naturalem, Medicinam, Chi-
rurgiam pertinentes.

F I N I S.

British Museum
London
The Trustees
of the British Museum
have the honor to acknowledge
the receipt of your letter
of the 10th inst. and
in reply to inform you
that the same has been
forwarded to the
proper authorities
for their consideration
and that they will
be glad to receive
your views on the
subject.

Yours faithfully,
The Trustees





DRACO YUCIFORMIS

Fig. I.



Fig. II.





Fig. III.



Fig. IV.

